



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex  
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &  
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium  
similitudinibus conscripta ...**

**Duplan, Theodore**

**Ruraemundae, 1663**

28. Tria, quibus parere numquam pœnitabit. Tria pessima Cappa. Tria A.  
Tria potentia M. Tres Reges ab Anti-Christo superandi. Tria millia virorum a  
Sampsone superata. Tria lilia in insigni Regis ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12221**

## SYMBOLUM 28.

*Tribus hisce paruisse, numquam te pœnitentia, ut Sapientis monitum est, scil. verum dicenti, bonum consulenti, gallo gallinaceo te e somno excitanti.*

**D**A faciles, verbis Vero conformibus, aures,  
Consilijs morem, sunt ubi recta, geras.

Alitis excutiat vigilantia prima teporem;

Ecce trias moniti: ne vereare sequi.

(a) Consilij dator est Genitor melioris, & author

(b) Est Verbum veri, (c) Spiritus ales erit.

(a) Deus Pater Daniel. 7. describitur, & ad ejus descriptionis imitationem depingitur, velut antiquus dierum (forte ob ordinem originis) in antiquis autem est Sapientia, & in multo tempore prudentia. Job. 12. (b) Dominus dedit mihi linguam eruditam Isa. 50. Quod de Christo vel Sapientia Dei explicat S. Greg. Unde Judai de Christo dicebant: numquam sic lecatus est homo. Et Apostoli: Domine quo ibimus? verba vita eterna habes. (c) Quia Spiritus apparuit in specie alitis scil. columba, quæ ordinariè depingitur; qua liberationem & liberatorem in salutari baptismatis diluvio Matt. 3. & gratiam Patris per Christum orbi oblatam demonstravit; sicut in diluvio ramum oliva ferens, communem orbis tranquillitatem annuntiavit. Ex Corn. Jans. Conc. Evang. cap 14. Et hic S. Spiritus discurrit, festinat, suscitat amicos suos ne dent somnum oculis suis proverb. 6. Vide etiam Bern. serm. 2, in Pent. de triplici bono, quod anima justæ donat Spiritus S.

N. Possent hic addi plures aliæ trinitates ex historijs & exemplis v. g. tria pessima Cappa seu tres gentes pessimæ a Cappa incipientes; puta Cretenses, Cilices, Cappadoces. Tria A, quæ sunt nervi bellorum, de quibus Ovid. lib. 1. Metam. videlicet aurum, arma, animus. Tria potentia M. v. g. mas, mars, mors. Tres Reges ab Antichristo superandi scil. Rex Aegypti, Rex Africæ, Rex Aethiopiarum. Tria millia virorum mandibulae usque a Sampfone, 1000. interfectis, superata. Tria lilia insigne

in signi Regis Franciae circa tempora (ut aliqui narrant) Caroli Ludovici, Balbi Filij primam usurpatam. Tria nomina, quae Scytopoli, dum Dux illustris auream crucem fabricari curaret, divinitus absque opera & scitu aurifabri, insculpta in cruce scil. Emmanuēl, Michaēl, Gabrieł: ita ut summum locum teneret Emmanuēl; inferiorem instar brachiorum, Michaēl & Gabrieł, ut habet Grets. lib. 2. de Cruce cap. 13. Tres item Cruces, quas Hilarion in littore maris pinxit; quibus in summam altitudinem mare intumescens fecit stare & ne regredieretur, prohibuit, ut refert S. Hier. Tres characteres sacramentales. & talia sine numero plura. Nec inficior alia etiam magis accommodata proposito nostro inveniri posse. Quocirca non inviderem ei, cui per studium & otium melius, quam mihi, vacaret, qui nostrum scopum promoveret, opellam erugaret, seu latius extenderet.

